# QVÆSTIO MEDICA

## QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVIII. IANVARII,

M. IOANNE TOVRNIER, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

*An pari die tutior purgatio?*

MORBOS omnes Natura non sanat, non recta victus ratio; sed maioribus sæpe indiget auxilijs phlebotomiâ aut catharsi. Alterutram cũ præscribere paras, fac memineris eam fore vt ἄκος, si tempestiuè vsurpetur, sic ἄχος, si temerè. Præcipitem rei gerendæ occasionem captet Medicus ὄξεος ἢ λημμαλικῶς. Cum periculo tẽtare generosa hęc remedia nefas morte piandum. Vtriúsque si par inciderit necessitas, præstat à venæ sectione auspicari. Purgationis verò, quę humorum sua qualitate molestorum vacuatio est, opportunitatem ostendunt, non Astrologorum Ephemerides, malè feriatorum hominum commenta; sed morbi tempora, humoris euacuandi concoctio, corporísque conditio. Medicamentum non semper ægris prodest, sanis semper nocet. Valetudinariis verna vel autumnalis purgatio morbos anteuertit. Æstate & hyeme vigente nulli non est ἐργώδης. Qui purgare vtero gerentem, enixámue, aut quatuordecim annis minores religioni ducunt, ij nimiùm meticulosi tuta timent. At corpora, quæ purgare voles, antè fluxa reddito. Humores ad exclusionem apparare Ars etiam potest, concoquere vna Natura potest.

CONCOCTIO quatuor morborum tempora distinguit, non dierum numerus. Concocta, quæ Natura non excreuit, Ars tutò vtilitérq; excernit, cùm semper aliàs, tum potissimùm in declinatione. Hoc si omittitur, quamuis pax rebus spésque affulgeat, non lõgùm lætabere: quę relinquuntur recidiuas facere solent. At verò dum sapiens opifex concoctioni incumbit aut excretioni; procul ô procul omnis ἐρεθισμὸς, tam sanctum & salutare opus, quod in augmento promouetur, in statu perficitur, interturbari nefas. Cruda, vt per initia, medicari licet, nec licet. Seuerè Ægyptij, apud quos ante quartum diem Medicis vetitum erat mouere, secùs si quid moliebantur, suo ipsorum periculo moliebantur, nullâ aliôqui dierum determinatione soliti & prudenter quidem συρμαΐζειν. Fastos dies & nefastos obseruent alij: nos eum purgationi aptiorem existimamus, qui tranquillus est & halcyoneus, quo & morbus minùs fatigat, & collectæ ægri vires meliùs constant. Qui in operibus artis tranquillum perturbatum, parem imparem, κρίνοντα κτείνοντα, feriaticum præliarem, nullo discrimine habent; ij clausis Andabatarum more oculis aduersarium impetunt.

AD rectè medendum dierum obseruatio non parum confert. Nullos non experimur minaces, sed alijs alios magis. Impares ægros efficiunt ἑτεροῤῥοπίας. Ne ille quidem, qui periculo liberat, perturbatione & terrore vacat. Nocte verò, quæ accessionẽ præcedit, & hanc quasi luctam, obijcit se plurima mortis imago. Quarto die prima ἔφοδος terminatur, ante quam crebræ metaptoses, sexta vicesimo, quem, vt decimumquartum imparem dicimus, & vicesimoprimo sæpiùs certiúsque decernere. Septimus inter cęteros princeps ius habet vitæ & necis, sed seruat plures. Atque hi quidem vt iudicando primas tenẽt, ita maiores in corpore turbas ciẽt. His proximè accedunt dies indices, quos iudices interdum fieri nihil repugnat. Sed & intercalares Naturam exstimulãt, quia impares: verùm humor προεκρηγνύμενος nõ nisi immaturã & abortiuã crisin facit. Imparibus exacerbatur acutos committens (qui vltra decimũquartum non extenduntur) hinc & accessiones ægrũ inuadũt & criticę perturbationes ἐν παροξυσμῷ. Febris si alio die dimiserit remiserítue, παροξυντικὴ. Quę porrò causa eiusmodi periodos efficiat, si quis me docuerit, eũ ego vicissim causam docebo reciproci in Euripo motus. Dum illæ fiunt, ægris augescunt labores, eorúmque vita ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς.

MVLTO tranquilliores illucescunt illi dies, quos vacuos & medicinales vocãt, quamquam sextus meritò ater censetur, & sinistrum quid sæpe vehit. Per illos operibus Naturæ ineptos, Artis, quę non solùm iuuat Naturam, sed etiam interdum superat, aptissimos, qui medicamentum sumpserunt; ij sanè supra modũ nunquam purgati sunt: alijs diebus purgati interierunt plurimi ὑπερκαθαρθέντες. Cum vulgo sapiunt qui multitudine metienda putant quæ vacuantur. Ea demum confert κένωσις, quæ fit qualis fieri debet, atque ab ea ægri melius habent. Plurima ac repentina etiam peccantis materiæ vires exoluit. Sic empyi & hydropici cùm vruntur aut secantur, si pus aut aqua vniuersim effluxerit, haud dubiè moriuntur. Omne nimium naturæ inimicum est. Quod paulatim fit securitatem habet. Securitas & salus ægri suprema lex esto. Alios iuuat purgatio per superiora, quam etiam naturalem esse contendimus; alios per inferiora, quæ minus facessit negotii. Neutra ijs conuenit, qui partes habent ad vmbilicum & imum ventrem attinentes macie extenuatas. Leipothymiam parit humoris vacuandi acrimonia, sed leuem; grauem vero commotæ camarinæ mephitis; grauiorem maligna venenatáque pharmaci qualitas; grauissimam hypercatharsis.

IN quod periculũ ægros conijciũt suo illo hydrargyro variè parato & stibio Germanorũ, si Dijs placet, theriacâ agyrtæ æruscatores soliti impunè & impudenter per mortes agere experimenta. Famæ suę & hominum vitæ cautiùs prudentiúsque consulũnt, qui remedia præscribere malunt multorum iam seculorum vsu probatissima. Phlegmagoga, vt agaricum, turpethum, colocynthidem; cholagoga, vt rheum, aloën, cassiam, scammonium; melanagoga, vt elleborum, senam, epithymum; Hydragoga, vt ebulum, elaterium, mezereum. Nimirum totidem Catharticorum genera vsus notauit, quot humorum peccantium. Absit tamen vt hæmagogum reperiatur; sanguinem minuere sola phlebotomia tutò potest. Vnumquódque facultate nullis sensuum qualitatibus perceptibili familiarem sibi humorem educit: idem & alienum trahit purgatione inutili, & cum noxio naturalem & necessarium purgatione effrenatâ, vnde torsiones, cordis dolor, æstus, anxietas, iactatio, corporísque perturbatio consequuntur & virium exolutio, quæ præsentem intentant omnia mortem. Neque verò tam graue periculum ab exuperante duntaxat vi medicamenti oritur, sed & metuendum erit potissimùm, si diebus imparibus exhibeatur; paribus tranquilliora sunt omnia. Data tempore prosunt, & data non apto tempore quæque nocent.

*Ergo pari die tutior purgatio.*

Asserebat Lutetiæ MICHAEL BOMMER Cœnomanus, A.R.S. M.DC. XVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Michel de la Vigne.*
*M. Ioannes Tournier.* Præs.
*M. Iacobus Perreau.*
*M. Guillelmus Gerbaut.*
*M. Franciscus Lespicier.*
*M. Franciscus le Sage.*
*M. Ioannes Riolan.* Profess. Reg.
*M. Andreas le Gros.*
*M. Ioannes Mercier.*